



ARISTOTELIS DE CAELO

Liber Primus.



Natura quidem ratio & scientia in corporibus ac magnitudinibus, eorumque & affectionibus & motibus, & præterea in principiis quæ huius talis nature essentiæque sunt, tota ferè cernitur. Eorum enim quæ natura constant, partim sunt corpora & magnitudines, partim corpore sunt & magnitudine prædita: alia vero principia sunt eorum, quæ illa habent. Ac continuum quidem est, quod diuiduum est in ea, quæ semper & infinite diuidi possunt: corpus autè id quod omni ex parte secari potest. Magnitudinum verò ea quæ in vnum diuidi potest, linea: quæ in duo, extremitas aut planum: quæ in tria, corpus dicitur. Nec verò præter has alia est magnitudo, propterea quòd tribus omnia continentur, & ter omni ex parte dicitur. Vniuersum enim, & omnia, tribus, quemadmodum Pythagorei tradunt, determinata sunt: quandoquidem finis, medium ac principium vniuersi ac totius numerum complectuntur, quæ eadem illum ternionis continet. Itaque quòd à natura quasi leges illius accipimus, in deorum etiam sacrificiis hoc numero vtimur. Quinetiã appellandi rationes eodem modo attribuimus. Nã duo ambo, duosque ambos vel vtrumque dicimus, omnes non dicimus, sed hoc nomen ad tres primùm accommodamus. Hæc autem, vt dixi, quòd natura ipsa ita inducit, sequimur. Ita quoniam omnia, vniuersum, & quod perfectum est, non specie inter se differunt, sed materia tantum & iis de quibus dicuntur, si fortè differant: profectò corpus solum perfecta erit magnitudo, quippe quod vnum tribus determinatum finitumque sit, in quo vniuersi ratio consistat. Cũ autem tribus modis diuidi possit, quaqua versus diuiduum est: aliarum

Cap. I.

A. iij.